Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1307

Quelle:
Copyright:

cerdotes noue legis in foro penitentie habeant claues regni celeſtis. Ad hanc denique reſpondit: *Anno domini. 1469. in alma vniuerſitate Wien. In vigilia natiuitatis beate marie virginis Et eodem anno promotus eſt in baccalarium ſacre pagine.*

IV. *fol.* 185. Excerpta ex *Henrici Flad Carmelitae Norimb.* L. IV. *Sententiar.* de *proprio Sacerdote*, et de *Charactere* Sacramentali.

V. *fol.* 192. *Sententie doctorum Theologorum et Juriſtarum de comportationibus recipiendorum in monaſterijs absque ſymonia.* Citantur breviter *Thomas Aq. Albertus M. Petr. de Tarentaſia, Hoſtienſis, Raymundus* &c. declarantes, qua conditione liceat religioſis Familiis aliquid ab ingreſſuris Tironibus acceptare.

VI. *fol.* 193. *Magiſtri Nicolai de Dinckelſpühl* Quaeſtio: *Vtrum homo teneatur dare elemoſinam de temporalibus ſuis ad ſubueniendum defectibus aliorum.* Quaeſtionem hanc, qua ſubjecta materia egregie pertractatur, non invenio in Catalogo Scriptorum *Nicolai* noſtri a *Fabricio, Oudino* et in *Scriptorib. Univ. Vien.* P. I. p. 92. textorum. Reſponſum incipit: *Pro quo notandum quod duplicia ſunt bona temporalia* &c.

VII. *fol.* 202. p. 2. Incipiunt Quaeſtiones variae Theologicae, argumenti potiſſimum moralis, excerptae e *Joh. de Raguſio, Nic. de Dünkelſpühl, Joh. de Dittmaning, Thoma Aq. Henr. de Haſſia, Henr. Flad de Nurenb.* et *Kiliano O. M.* Ex. cauſſa: *Vtrum Mater domini vouerit virginitatem. Vtrum vſus veſtium precioſarum ſit malus et peccatum. Vtrum Viri eccleſiaſtici peccent vtendo veſtibus precioſis.* &c. Notiores horum Scriptorum praetereo. *Johannes de Raguſio* O. P. dictus *Stoicus* nomine gentilitio inter alia, quae in *Scriptt. O. P.* T. I. p. 798. referuntur, in Synodo *Baſil.* Orationem habuit contra I. Art. *Bohemorum* de Communione ſub utraque, quae in *Edit. Concilior.* legitur, atque inde excerpſit Noſter. M. *Joh. Gröſſel de Dittmaning* ditionis *Salisb.* Commentarium in *Eccleſiaſten*, ut patet e noſtra Quaeſtionum Sylloge, reliquit. Rectoris Acad. officio inter ann. 1436 — 65. quater functus et Canonicus *Vien.* obiit 1472. *Henricus Flad Norimberg.* Ord. Carm. et *Kilianus* Ord. Min. *Lecturas in Libros IV. Sentent.* ſcripſere, quibus itidem Noſter uſus eſt. Horum Virorum nec in *Bibliothecis* ſuorum Ordinum *Lucii* et *Waddingi*, nec in *Scriptt. Univerſit. Vien.* extat memoria, niſi, quod in *Praef.* P. I. *Scriptt.* p. 9. Fr. *Henricum de Nurenberga* ad an. 1414. nominari video.

VIII. *fol.* 255. *Sermo ad clerum de Aſſumpcione beatiſſime virginis Marie.* In illud *Eccl^ci.* 24. *Quaſi palma exaltata ſum in cades.* Hiſtoriam ejus habes in miniata Clauſula: *Explicit ſermo ad clerum — factus in conuentu Wiennenſi*